

Andreas Daniel Habichhorst Pascasius Zanderus

Dissertatio Politico-Historica De Exarchatu Ravennate, Ab Iustino II. Imper. Romano In Italia Instituto

Rostochii: Kilius, 1670


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734357583>

Druck Freier  Zugang



*RU phil 1670
Andreas Daniel Habicht
Paschius Landers*

R u phil. 1670.
Andreas Daniel Habichtshorst
Paschasius Zander



DISSERTATIO POLITICO-
HISTORICA

DE

EXARCHATU
RAVENNATE,

AB JUSTINO II, IMPER. ROMANO
IN ITALIA INSTITUTO,

Quam

In Illustri antiquaq; Meklenburgensium Academia,
quæ ROSTOCHI est,

MODERATORE Εξάρχων Εξάρχη

Consentiente Ampliff. Facultate Philosophica

PRÆSIDE

M. ANDR: DANIELE
HABICHHORSTIO,

SS. Theol. Candid.

publicæ collationi Academicæ

assistit

PASCASIUS ZANDERUS,

Dobbertin. Mekl. LL. Stud.

Ad D. IX. Julii, horis antemerid.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typ. An. 1670.

DISSERTATIO POLITICA
WESTORICA
DE

EXARCIA TU

RAVENNATE

AB IUSTINO II IMPER ROMANO
ITALIA IUSTITUS
Quam
In Illud Augustus Melkenpundum Academiae
per Rostock

MORITZ TORI
consequente Annulli, Rostocke Philologica
PRESIDE

M. ANDR: DANIELLE
HABICHHORSTIO

SS Theol. Candid.
publice collationi Auctoritate
1812

PASCASII SANDERUS
Dobbertin Melk. II. Stud.
M. D. IX. Julii, hinc autem

ROSTOCKI
JOHANNIS KRIEGER Typographo



Nter jura, quibus gaudet Majestas, non postremum, est jus constituendi Magistratus, quippe sine quibus nec jus legum ferendarum sibi constare, nec ipsa consistere Majestas potest. Cum enim leges vi præditæ sint civilem continente societatem, quam à Majestate acceperunt; hæc autem ipsa, quatenus certæ intelligitur personæ inclusa, toti corporis hujus moli impar sit (unus enim & pauca videt & pauca audit) necessario constituere Magistratus s. potestatem juris dicendi & exequendi conferre aliis tenetur, qui instar oculorum, auriumq; & manuum sint Majestati, seduloq; provideant, ne qua legibus fraus fieri h.e. dissolvi societas possit. Hujus rei illustre nobis suppeditat exemplum *Justinus II.* Imperator Romanus, instituens in Italia *Exarchatum Ravennatem*: de quo ipso pauca nunc pro temporis angustia sumus commentaturi. Esto igitur, Q. D. B. V.

MEMBR. I. explicans *Voces*.

S. 1. Vox *Exarchatus* origine Græca non à *sex urbibus*, quas quidem habebat in oris italicis subjectas dicta: effertur enim per spiritum lenem *Exarchatus*, non a. per asperum *Hexarchatus*, quasi esset ab ἐξ *sex*; sed à particula ἐξ, quæ in compositione cum ornatu etiam significationem frequentissimè auget, & ἀρχω impero, principium & origo sum, autor sum, incipio. Inde ἐξάρχω, quod significat non tantum canere incipio, interdum incipio simpliciter; sed & rei alicujus dux & autor sum. Hinc Plutarchus in Romulo: ἐξήρχεν παῖδαν ἐμβατηρίῃ, incipiebat canere parana ad invadendum. Idem in Galba: παντός ἐξάρχειν δόγματ, omniū præesse sententiæ. Hinc ἐξάρχος dux, princeps, item præfultor, cantor. Quomodo & alia dantur composita: χιλίαρχ, tribunus militum, ἐπαρχ, præfectus, satrapa &c. Ex quibus patet *Exarchum* notare eximium sive præcipuum principem, *Exarchatum* verò præcipuum principatum.

S. 2. Vox *Ravennas* involvit *Locum*, in quo *Exarchus* sive princeps ille præcipuus sedem habuit s. aulæ domicilium. Hic autem est *Ravenna*, quæ urbs in Italia est, & quidem parte ejus, quæ Umbria olim dicta, sita ad mare Adriaticum. Obtinet titulum *antique*, sicut Roma sanctæ, Bononia pinguis, Florentia nobilis, Padua doctæ &c. A Ravenna nomen est gentile *Ravennas*.

MEMBR: II. exhibens *causam efficientem & occasionem.*

§. 1. *Causa efficiens principalis* s. autor primarius *Exarchatus* hujus *Ravennatus* DEUS est: non enim est magistratus s. potestas nisi à Deo, quod Apostolus ad Rom. 13. pluribus ostendit. Ut adeo frustra sint homines quidam fanatici, qui non Magistratum tantum ordinationem esse divi-
nam, legitimasq; ordinationes civiles bona opera Dei negant; sed & Christianis hæc civilia officia interdiciunt. Quibus majores nostri re-
cte opposuerunt Artic. XVI. Aug. Conf.

§. 2. *Causa efficiens secundaria* fuit *Justinus II. s. Junior*, Imperator Ro-
manus, natione Thrax, successor & nepos Justiniani I. ex gnata, vel, se-
cundum alios, ex sorore; uti *Justinianus* Justiniani quoq; primi ex sorore,
fuit nepos. Regnavit seculo post natam mundi salutem sexto. Initio
quidem imperii, ut illud gratius esset, tributa, quibus Antecessor Justi-
nianus regnum presserat, leniens, de suo turmas aluit & conjux *Sophia*
ex suis solvit quædam debita facultatibus: urbem regiam ædificiis, tem-
pla donis exornavit; deinde verò ipse tributis novis tantum inussit famæ
labem, ut ayaros inter referant ipsum autores: cumq; morbido esset,
corpore lasciviazq; & vecordia dedito, tantum pene Romanas afflixit
minuitq; ditiones, dum exautorato *Narfeti* Italiae gubernatori suffecit
Exarchum *Ravennatem*, quantum antecessor aut præfecti ejus *Belisarius*
& *Narfes* adauxerant eas, id quod pluribus patebit è seqq. Etsi verò I-
talicis regionibus haut bene cessit quem instituit *Exarchatus*; jure tamen
suo creandi Magistratus, quo Majestas ceteroqui gaudet, uti paulo ante
fuit dictum, usus est.

§. 3. *Occasio* a. constituti *Exarchatus* talis fuit: *Narfes* hactenus sub
Imperatore *Justiniano* Dux laudatissimus liberaverat Italiam ab Ostro-
gothis auxilio Longobardorum, annosq; sedecim Justiniani jussu ean-
dem rexerat simul ac recreaverat. Inde potentior factus, à Romanis
quod tretior ipse Dominus quàm Gothi essent, accusatus. Justinus, cui
gloria & auctoritas *Narfetis* suspecta videbatur, mox inclytum belli pacisq;
artibus Virum Italiae administratione amovet, suffecto in locum ejus
Longino, quem primum habere jubet novum *Exarchi* *Ravennæ* titulum.

MEMBR. III. proponens *Materiam in qua.*

§. 1. *Materia in qua* hujus *Exarchatus* s. *subjectum* recipiens fuerunt
homines certi & ipsi quidem *Exarchi* numero quindecim. *Primus* ho-
sum, quem *Justinus* *Narfeti* surrogavit, ceu dictum, fuit *Longinus*, cu-
jus virtus nulla memorabilis, vita deestabilis. Dicitur n. sceleratos a-
luisse.

luisse ministros *γυναικοειδεις* i.e. tales, qui vi fraudibusq; nobilium fili-
 as conjugesq; raperent & ad ipsius concubitum pertraherent. z. fuit *Sma-*
ragdus tempore *Mauritii* Imp. patientissimi. Iste ex interna Longobar-
 dorum discordia occasionem contra illos aliquid gerendi nactus, certa-
 men movit, ducemq; Longobardicum *Veroaldum* armis captum occidit
 & oppida quaedam recepit. Sed pulso deinde duce suo inducias cum
 Longobardis fecit. 3. *Romanus*, qui *Mauritio* regnante *Smaragdo* revocato
 suffectus, inducias fregit, oppida aliquot recuperavit & Romæ grassa-
 tus paulo post mortuus est *Ravennæ*. 4. *Callinicus*, qui fortem justumq;
 Longobardorum, Regem *Egilolphum* impugnavit, captaq; *Parmâ* fili-
 am ejus generumq; abduxit. Sed à Longobardis mox repressus Romam
 obsidione cingi ab ipsis videre coactus est, quò tempore ipse *Ravennæ*
 mortuus. 5. iterum *Smaragdus* à *Mauritio* missus, qui cum videret fe-
 viribus *Egilolphii*, Romam obsidione fatigantis, *Cremonam*q; vi captam
 delentis imparem, pacem cum eo redditis captivis fecit. 6. *Joh. Lamigig*
Thrax, qui missus ab Imp. *Phoca* Parricida, Domino suo haut melior in-
 gens adduxit mulierum *Spadonum*q; agmen. Sed *Ravennates* ipsius
 mulierumq; imperium rapinis libidinibusq; sædum agrè ferentes *Lami-*
gium cum familia trucidarunt. 7. *Eleutherius*, qui sub imperio *Heraclii*
 pace cum Longobardis in annos 10. factâ, *Italiae* tunc tranquilla Regem
 se quidem appellavit; mox verò exercitum Romam ducentis, à suisq;
 interfecti caput *Constantinopolin* ad *Heraclium* est missum. 8. *Isaacius*
 ab eodem Imp. suffectus pacem cum Longobardis factam additis decem
 annis confirmavit. Sed Romam ingressus electionem *Episcopi* *Roma-*
ni confirmaturus pecuniæ *Lateranensis* templi raptæ partem militibus
 distribuit, partem v. secum avexit. 9. *Theodorus Calliopa*, quem idem con-
 stituit *Heraclius*, à Longobardis bello post viginti annorum requiem irri-
 tatis, magno pralio ad *Mutinam* victus, & propterea forte ab *Exarchatu*
 remotus est.

§. 2. Decimus fuit *Olympius*. Hunc à *Constantino* missum mandata *Roma-*
nam attulisse, ut *Martinus* *Episcopus* *Roma*, *Monotheletarum* amplecte-
 retur dogma, narratur in *Chronico Carionis*. De *Constantino* a. qui mis-
 sisse eum fertur, merito dubitamus. Aut n. fuit *Constantinus Heraclius*
 filius *Heraclii*, aut *Constantinus Pogonatus* filius *Constantis II.* & *Constan-*
tini Heraclii nepos, sed ille non misit: quippe qui, teste inter alios ipso
Chronico in fine *historiæ Heraclii*, rectè fuit sentiens i. e. *Monothele-*
tarum errori haut addictus, atq; ideo post anni dimidium, quo regnave-
 rat, *Pyrri* *Patriarchæ Constantinopolitani* *Monotheletæ* auxilio, qui o-

derat recte sentientem, à noverca Martina filium suum Heracleonam ad imperium promotura est interfectus. Neq; hic sc: *Constantinus Pogonatus* illum misit: quippe qui & ipse Monothelismi hostis fuit acerrimus, id quod *Concilium Constantinopolitanum III.* mandato ejus contra Monothelitas habitum. Quid quod & hic Pogonatus post *Constantem II.* Parentem summæ rerum præfuit: cum vero jam de *Constante* te memoret *Chronicon* in principio historiæ *Constantis*, quod ille jam per *Theodorum Calliopam Exarchum*, de quo paulo post, ceperit *Martinum*, vinctumq; carceri incluserit, ita ut mortuus inibi fuerit, hinc aperte satis colligitur, non fuisse *Olympium* à Pogonato missum: quia tempore Pogonati jam erat in exilium missus & fortè etiam mortuus, Relinquitur ergo missum hunc esse à *Constante II.* acerrimo Monothelismi impietatisq; avitæ propugnatore. Et confirmamur ex ipsis illius *Chronici* verbis: Si n. *Constans* sequentem misit *Exarchum*, perq; eum fraude hunc *Martinum* curavit capi, de quo paulo post, verosimile est, quod idem quoq; *Constans* hunc miserit *Olympium* cum mandato ad *Martinum*, ut Monothelismum amplecteretur. Memorabile v. est, si fides habenda id referentibus, quod cum *Martinus* refragaretur mandato, percussor in templum missus, jam jam interfecurus *Martinum*, cæcus fuerit subito factus.

§.3. Undecimus *Theodorus* iterum *Calliopa*, missus uti dictum à *Constante*. Hic *Theodorus* Lateranensem Basilicam sub salutationis specie ingressus, *Martinum* supra dictum fraude cepit, vinctumq; in aulam misit *Cæsaream*, unde porro in Synodo auditus & disquirentibus arte Monothelitis respondere non valens in *Chersonesum* est deportatus, ubi fame & squalore carceris periit. 12. *Joh. Platina* *Exarchatu* donatus à *Justiniano Rhinormeto* pecuniaq; corruptus *Romam* profectus eo est tempore, quo dissensio de Pontifice erat eligendo. At *Pasibalus*, quem creare volebat Pontificem, cum magicarum insimularetur imposturarum, proptereaq; damnatus in monasterium includeretur, voti sui compos haut factus, spoliatis templis rediit *Ravennam*. 13. *Theophylactus* missus ab Imp. *Tiberio III. Absimaro*, prius *Romam* è *Sicilia* venit, quàm intravit *Ravennam*. Huic quidem statim se opposuerunt, quæ *Romæ* *Ravennæ*q; erant præsidia, direptiones iterum cadesq; metuentia; ceterum *Episcopi Romani* suafu, qui velut arbiter inter *Theophylactium* & præsidia optabatur, sine pugna & latrociniiis *Ravennam* discesserunt. 14. *Paulus*, quem constituit *Leo III. Isaurus iconomachus*. Hic instinctu *Gregorii II.* Pontificis *Romani* occisus à *Romanis* est, cum à *Leone* iussus *Romam* veni-

veniret captum Gregorium dictum, quod non tantum Cæsari ob Iconomachiam censum urbis Italiæq; detineret, interfertâ causâ, quod in rebus fidei disponere non esset quicquam Imperatoris, sed & Italiam in Leonem exaceret, ut obsequio sese Leonis eximerent, deq; alio Rege creando cogitarent: quasi v. fidei sit Christianæ opus manuum & habentia guttura linguæ cassâ locuturæ colere, quasi etiam Cæsaribus impiis & hæreticis, imò ethnicis censum persolvere Servator prohibuisset. 15. & ultimus *Eutychius*. Hic itidem à *Leone* constitutus literis cives incitavit Romanos contra Gregorium III. Episc. Rom. qui non minus odium Leoni quàm Antecessor Gregorius II. creaverat, ideoq; fulmen excommunicationis in ipsum Papa torfit, terrasq; avellere Italicas à sceptris Græcorum meditatus fuit. Quibus accessit furor Longobardorum, qui captâ Exarchorum sede Ravenna, Eutychioq; terga dare, seq; Constantinopolin recipere coacto, terras Exarchatus sibimet subjecit.

MEMBR: IV. exponens *Materiam circa quam.*

§. I. *Materia* circa quam versatus est hic Exarchatus s. *objectum* fuit vel *generale* vel *speciale*. *Generale* fuerunt terræ Italica, quæ ditionis erant Cæsareæ, quibus quidem eo tempore, quo primus mittebatur Exarchus, annumerabatur regio, quæ nunc audit Lombardia conf. Membr: VII. §. I. *speciale* objectum fuit vel *reale* vel *personale*; *Reale* fuerunt tum *religio* & ea quæ ad externum spectabant Ecclesiæ regimen, tum *bona & actiones* hominum in terris Italicis Cæsareis: *Personale* fuerunt subditi ipsi tam Clerici (uti vocant) quam Laici: uti enim omnis anima subiecta potestati est supereminenti, docente Apostolo ad Romanos; uti sacerdotes V. T. fuerunt subiecti Regibus; uti Christus ipse tum in personalibus tum in realibus cum Apostolis obedivit Magistratui: ita & Clerici in Italia Exarchis. Neq; ipsemet omnino excipiebatur Episcopus Romanus, qui ceteroquin hodie non sese tantum, sed & omnes personas Ecclesiasticas à potestate civilis Magistratus exemptos pronunciat. Sicut n. Imperatores non tantum ante Justinum nostrum constituebant & obdelicta removebant Episcopum Romanum; uti *Justinianus*, antecessor Justinii, *Sylverium* culmine dejectum, quod proditionis esset reus, nec reddere Anthemium sedi vellet Byzantinæ, in exilium misit, *Vigiliumq;* ei substituit: quin & *Vigilium* deinde ipsum, Cæsaris quoq; imperium de restituendo Præsule Anthemio recusante carceri includit &c. sed & longè post Justinum; Quomodo *Carolus M.* ius sacrandi Pontifices accepit annexa lege, ne quis Episcopus esset nisi à Carolo probatus. *Otto I.* cui vetus pactum de nullo sine Cæsaris consensu creando Papa renovatum, perjurum scelerisq;

NOB

non unius reum Papam *Johannem XIII.* dejecit, eiq; *Leonem 8.* suffecit, qui jus antecessoribus collatum renovans Magistratum veneratus est *Ottonem*: quin *Leoni* defuncto surrogavit idem *Otto Johannem XIV. &c.* ita & *Justinus* noster Exarchis potestatem tribuit *Cæsareo* nomine, confirmandi novos Episcopos Romanos & refractarios removeri iussit. Quamvis n. ab Imp. *Phoca*, qui non longe post *Justinum* habenas Imperii flexit, titulum supremi Pontificis aut Episcopi universalis, jam pridem exoptatum, redhostimenti loco impetraverit Episcopus Rom. *Bonifacius III.* redosthimenti inquam loco: *Phocam* enim ob parricidium à Constantinopolitano Episcopo excommunicatum absolverat *Bonifacius*; sequentes tamen Imperatores per Exarchos suos in ordinem redigi curarunt Pontifices, suumq; jus in eosdem tueri conati sunt. Conf. supr. membr. 3. §. 1. 2. & 3. in init. & fine.

MEMBR: V. insinuans *Formam.*

§. 1. *Forma Exarchatus Ravennatis* constitit in data potestate non tantum nomine *Cæsaris* in regionibus & urbibus *Cæsareis* Italiae jus dicendi & exequendi, sed & subditos ab injuriis hostium extraneorum defendendi. Dicimus potestatem datam, ut distinguatur Exarchatus hic s. Magistratus à Majestate tanquam quid dependens & vicarium ab independente & principali, à quo universa magistratum potestas & dignitas dimanat: quamvis nō negandum, obtinuisse hodie, ut Imperatores & Reges Magistratus quoq; nominentur, sed summi: quæ vocis ampliatio orbitam sermonis morisq; Romani premere haut videtur. Hinc *Cicero* pro *Planco*: *Populus Romanus deligit Magistratus qv. Reip. villicos.* Habebant autem majores & minores magistratus, qui tamen omnes summæ subiciebantur potestati. Ita & Exarchatus hic fuit magistratus in Italia s. potestas à Cæsare data; non autem minor sed major: siquidem Exarchi suos ordinandi subofficiales potestate gaudebant, ipsiq; etiam urbi Romæ, uti reliquis Civitatibus quæ ditionis erant Cæsareæ, Duces præficiant; hoc tamen cum discrimine, ut quem præficiant Romæ non Dux sed præfes appellaretur, quamvis & postea præfes hic Romanus fuerit Dux appellatus & hinc Ducatus dictus Romanus. Hi ipsi duces jus dicebant & exquebantur in civitatibus quibus erant præfecti: quod v. judicare ipsi non poterant, deferebant ad Exarchum tanquam Magistratum majorem, cui data erat potestas principalis juris dicendi & exequendi in regionibus Cæsari subiectis: potestas inquam juris dicendi, quam vocant *jurisdictionem*, & potestas jus exequendi, quæ dicitur *imperium*.

§. 2. Quod a *jurisdictionem* attinet, ut ab imperio distinguitur, nihil est aliud

aliud, quam potestas cognoscendi & juris reddendi: estq; alia *civilis*, quæ circa res est occupata civiles, puta rem restituendam, aliquid dandum, vel faciendum &c. alia *criminalis*, quæ versatur circa crimina h.e. delicta, ex quibus poena infligitur. Hæc jurisdictio basis omnium est judiciorum, quorum formam & normam adicere hic possemus, ut ipsa vis jurisdictionis tanto clarius ob oculos poneretur, nisi instituti ratio breviter imperaret. Interim sicut Exarchis Ravennatibus, ita & magistratui Christiano licitum esse exercere judicia nulli dubitamus. Damnamus a qui processum judicarium ita adornatum volunt, ut sint æterna jurgia & ex ipsa mora ac tempore luculentior cum judici tum patrono merces. Damnamus & eos judices qui præcipitant judicia, neq; perspectam habent causam cum circumstantiis. Laudamus v. Magistratum, qui non tantum secundum acta & probata, sed & secundum conscientiam judicat. Neq; probare satis remedium illud adversus iniquitatem vel imperitiam Magistratum possumus, quod est *provocatio* s. *appellatio*, quæ si ultima sit, indubia est summæ potestatis tessera. Sic à Ducibus, quos præficebat Exarchus civitatibus, provocare ad ipsum Exarchum, & ab Exarcho haut dubiè ad Cæsarem licebat. Neq; n. jurisdictionem absolute dare vel voluit, vel salvo ordine potuit Exarchis Cæsar, uti nec aliis magistratibus Majestas; sed cum conditione censuræ & appellationis, quâ abdicat se minimè debet Majestas, nisi ipsa perimere semet velit. Et quemadmodum cum rectè judicat Magistratus, facultate aliena seu potestate concessa utitur: ita cum malè judicavit, corrigi & mutari voce Majestatis debet, quæ supremam sibi jurisdictionem reservavit. Exemplum hujus clarissimum nobis exhibetur etiam in sacris Act. 25.

§. 3. Nunc de *imperio* quoq; pauca sunt dicenda, quo potestas juris dicendi perficitur. Solet *jurisdictionis* vox ita ampliter sumi, ut cognitione s. explicationem juris atq; exemptionem complectatur; sed à nobis strictius accipitur, prout ab *imperio*, cujus est exequi, distinguitur, adeoq; ad *imperium* omnia referuntur, quæ ad perficienda, & exequenda iudicata ac statuta, ab eo qui jurisdictioni præest, sunt necessaria. Quomodo & Hebræi distinguunt inter *שופט* & *שטר*. Illum, qui simpliciter judicat sententiamq; pronunciat *שופט* appellant; qui v. iudicatum exequitur refractariosq; obedire cogit sententiæ judicis *שטר*. Imperium a. pro diversitate causarum, cujus præcedente §. meminimus, duplex constituitur solet, *mixtum & merum*. Mixtum potestas est exequendi in causa *civili*, inde dictum, quod tam arctè jungatur uniaturq; cum jurisdictione civili, ut confusum cum eadem atq; mixtum videri possit. Quod tn. non

impedit, quo minus alterum ab altero (sunt nempe diversi utriusque actus) distinguatur. Merum a. imperium potestas est exequendi in *criminali* causa, ita dictum, quia non est unitum cum jurisdictione & copulatum veluti est mixtum, sed separatum. Nimirum hanc potestatem populus sibi retinuit Romanus, neque communicare cum Magistratu precise voluit, eo quod nollet de capite civis Romani quenkum statueret posse, nisi populum univ. Hodie v. plerumque merum est imperium cum jurisdictione connexum, ut, qui Magistratus est, in criminalibus non tantum cognitionem, absolutionem, condemnationem; verum etiam executionem habeat. Quomodo & Exarchis merum fuisse communicatum imperium nulli dubitamus. Ut v. Exarchis tanquam Magistratibus Christianis per communicatum imperium merum *pœnas* quoque imponere *capitales* maleficis licuit, ita & hodiernum Magistratui Christiano id licet, ut alii exemplo terreantur, nec ob simile delictum similem incurrant pœnam. Clarissimum hac de re extat oraculum Gen. 9. 6. *Effundens sanguinem hominis, per hominē effunde. ut sanguis ejus.* Ubi malè vulgaris vocem אדם i. e. *per hominem*, in qua tamen magna est emphasis, neglexit; Arias Montanus a. & alii vocem אדם i. e. *per hominem* malè ad prius incisum referunt.

§. 4. Ad media v. quibus Exarchatus finem suum affectus fuit, vel assequi debuit, pertinent quoque *bella*, quæ geruntur, ut subditi ab injuriis hostium extraneorum defendantur. Hostes a. potissimi, quibus cum bella gesserunt Exarchi, fuerunt *Longobardi*, uti ex iis quæ membro diximus tertio, membroque dicemus 7. patescit. Uti v. olim Exarchis & subditis, ita hodiernum bella gerere Christiano Magistratui licet, iisque interesse & militare Christianis subditis non est prohibitum. Si non liceret, Johannes utique Baptista baptizatos à militia revocasset Luc. 3. judicandum tamen de bellis est ex efficiente, materia, forma & fine, quæ si fuerint iusta, nec bella improbantur. Conf. super his & præcedd. Aug. Conf. Art. 16.

MEMBR: VI. attingens *Finem*.

§. 1. *Causa finalis* Exarchatus *ultimus*, ut aliarum ordinationum civilium & Magistratum, fuit Dei gloria. *Intermedius* fuit bonum publicum, quod Apostolus aliàs fecit tripartitum, ut sit publica tranquillitas, publicum liberumque cultus divini exercitium, & denique honestas. Quamvis tamen haut negandum, Autorem Exarchatus Justinum intendisse quoque majorem autoritatis suæ in Italia observantiam: cum enim gloriam potentiamque Narsetis, ut supra dictum, haberet suspectam, verereturque ne tandem

dem sua planè in Italia concideret, instituebat hic Exarchatum. Quàm v. maximè frustratus sine suo fuerit autor Exarchatus, ex seqq. patebit.

§.2. Finis *terminationis* accidit seculo VIII. Imperatore *Constantino Copronymo*, cujus tempore *Aistulphus* Rex Longobardorum captâ *Ravennâ* Exarchum *Eurychium* Constantinopolin se recipere coëgit, terrasq; ejus suæ ditionis fecit.

MEMBR: VII. annectens *Consequentia*.

§.1. *Consequentia* respiciunt tum *institutionem* Exarchatus, tum *terminationem*. *institutionem* secuta statim fuit *Regni Longobardici in Italia fundatio*. Cum n. præter meritum Narses non tantum exautoraretur eiq; Exarchus surrogaretur: sed à *sophia* quoq; Justini Imp. Conjuge contumeliâ afficeretur, dum illa redire ipsum ad pensa telasq; muliebres juberet: erat n. Eunuchus; hinc ille accensus irâ telam se respondit texturum, quam nec superba mulier, nec ipse conjux ejus retexeret, simul atq; Longobardos, (quorum auxilio Italiam antea ab Ostrogothis liberaverat) ex sterili Pannonia in Italiam gravidam revocavit. Longobardi moram neccentes omnino nullam Duce Alboino, primo deinceps Rege, eam statim Italiæ partem occupant, quæ *Gallia* audit *Cisalpina* & deinceps ab his Longobardis, regnum ibi suum fundantibus, *Longobardia* vel corruptè *Lombardia* est dicta.

§.2. *Terminationem*, de qua membro dictum est præcedente, subsecutus est *finis regni hujus Longobardorum* cum Exarchatu in Italia simul sub Justino orti, *finisq; imperii orientalis in Italia &c.* Cum n. Ravenna expugnata Exarchoq; fugato elatus *Aistulphus* Rex Longobardorum potiri quoq; Pontificum Romanorum ditione occiperet, Romæq; ipsi interitum minitaretur, Pontifex *Stephanus II.* ad *Pipinum* confugit Regem Francorum, *Caroli M. Parentem*, eumq; per omnes rogatum sanctos, ne auxilium ferre Petro recusaret, permovit, ut beneficiorum à decessore Stephani acceptorum memor (Regem enim Francorum ex Magistro eum fecerat domus) bellum inferret *Aistulpho*, eiq; bis devicto Exarchi terras extorqueret. Quin & persuasus ad veniam scelerum animæque salutem id valiturum, has ipsas Exarchi terras Regi Longobardorum extortas Romano dedit Episcopo. Et licet. Imp. *Constantinus Copronymus* misso pretioso munere sibimet restitui Exarchatus *Ravennæ* terras postularet; nihil tamen obtinuit: quia Petro esse datas respondit *Pipinus*. Cumq; dehinc successor *Aistulphi Desiderius*, ultimus Longob. Rex, contra pacis conditiones *Pipino* promissas armis reposceret has

has Exarchi terras Episcopo Rom. donatas, mox *Hadrianus* tunc Episcopus, cum viribus *Desiderio* impar esset, per vestigia majorum ductus de auxilio interpellat *Pipini* filium *Carolus M.* qui etiam confestim fatigatum simul atq; dudentem se *Desiderium* in Galliam mittit, totoque adeo Longobardorum regno in suam potestatem redacto, *Carolus* *Hadriano* ablatos à *Desiderio* agros restituens, principiò quidem redhostimenti loco *Patricius* Romæ creatur, Pontificesq; Rom. creandi jus non vulgare accipit; deinde verò à Pontifice etiam *Leone III.* quem antro incluserant, imploratus Romam redit, causâq; reicognitâ & *Leone* restituto Imperatoris, à *Ætasia* ab Italicâ accipit nobilitate, populo simul Romano acclamante, & *Leone* Papa declarante. Atq; ita finito Exarchatu imperium quoq; Græcorum s. Orientalium Caesarum in Italia sive occidente DEO sic desponente expiravit, qui transfert & stabilis regna, cui etiam nunc sit laus &

GISSA!



Ad Politissimum Prestantissimumq;

DN. PASCASIUM ZANDERUM,

Jur. Stud. floridissimum,

In Geograph. & Historicis Auditorem ac

Domesticum suavissimum.

Jura Magistratusq; Dei sunt nobile donum:

Hoc Tibi publicitus commemorare sedet.

O bona discendiratio, quâ discitur id, quod

Ex usu publico novimus usq; fore.

Perge Magistratus partes defendere, quò Te

Præside justitiam Curia magna colat.

Quod gratulabundus vovet

M. A. D. Habichhorst.

Exarchos memoras, Exarchus prosperet altus

Cœpta, Magistratus munus ut ipse geras!

Cognato & Contubernali suo amantissimo appl.

Joh. Lanzius, Parch. SS. Theol. & Ph. Stud.





aliud, quam potestas cognoscendi & juris reddendi
 circa res est occupata civiles, puta rem restituendi
 vel faciendum &c. alia *criminalis*, quæ versatur circa
 ex quibus poena infligitur. Hæc jurisdictio basis omnium
 quorum formam & normam adjicere hic possemus
 ctionis tanto clarius ob oculos poneretur, nisi in
 imperaret. Interim sicut Exarchis Ravennatibus,
 stiano licitum esse exercere judicia nulli dubitamus
 processum judicarium ita adornatum volunt, ut
 ipsa mora ac tempore luculentior cum judici tum
 mnamus & eos judices qui præcipitant judicia, non
 causam cum circumstantiis, Laudamus v. Magist
 secundum acta & probata, sed & secundum con
 probare satis remedium illud adversus iniquitate
 gistratum possumus, quod est *provocatio* s. *appel*
 indubia est summæ potestatis tessera. Sic à Ducibus
 Exarchus civitatibus, provocare ad ipsum Exa
 haut dubiè ad Cæsarem licebat. Neq; n. jurisdic
 voluit, vel salvo ordine potuit Exarchis Cæsar, ut
 Majestas, sed cum conditione censuræ & appellati
 minimè debet Majestas, nisi ipsa perimere semet
 cum rectè judicat Magistratus, facultate aliena se
 titur. ita cum malè judicavit, corrigi & mutari
 quæ supremam sibi jurisdictionem reservavit.
 simum nobis exhibetur etiam in sacris Act. 25.

§ 3. Nunc de *imperio* quoq; pauca sunt dicenda
 cundi perficitur. Solet *jurisdictionis* vox ita ampliat
 s. explicationem juris atq; exemptionem comple
 ctius accipitur, prout ab *imperio*, cujus est exequi
 ad *imperium* omnia referuntur, quæ ad perficiend
 ta ac statuta, ab eo qui jurisdictioni præest, sunt n
 Hebræi distinguunt inter *שופט* & *שוטר*. Illum
 sententiamq; pronunciat *שופט* appellant; qui v. j
 fractariosq; obedire cogit sententiæ judicis *שוטר*
 versitate causarum, cujus præcedente §. memin
 solet, *mixtum & merum*. Mixtum potestas est ex
 inde dictum, quod tam arcte jungatur uniat
 civili, ut confusum cum eadem atq; mixtum vi

B

vili, quæ
 andum,
 delicta,
 ciorum,
 s jurisdi
 evitatem
 tui Chri
 aus a. qui
 gia & ex
 ces, Da
 n habent
 tantum
 at. Neq;
 iam Ma
 ltima sit,
 efficiebat
 Exarcho
 è dare vel
 stratibus
 ica se
 admodu
 ncessa u
 is debet,
 us clarif-

juris di
 gnitione
 obis stri
 adeoq;
 a judica
 modo &
 r judicat
 puitur re
 a. pro di
 constitui
 isa civili,
 lictione
 od tn. non
 impe-

